



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regula Sancti Patris Benedicti

Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>

Moguntiae, 1604

XI. Qualiter Dominicis diebus vigiliæ agantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigiliis tam veteris Testamenti, quàm noui diuinæ authoritatis : sed & expositiones earum, quæ à nominatissimis doctoribus orthodoxis & catholicis Patribus factæ sunt. Post has verò tres lectiones cum Responsoriiis suis, sequantur reliqui sex Psalmi cum Alleluia canendi. Post hos lectio Apostoli sequatur, ex corde recitanda : & versus & supplicatio Litaniam : id est, Kyrie eleison : & sic finiantur Vigiliæ nocturnæ.

Capitulū.

Qualiter aestatis tempore agatur nocturna laus.

CAPVT. X.

A Pascha autem vsque ad Calendas Nouembris, omnis (vt suprà dictum est) psalmodiæ quãtitas teneatur : excepto, quòd lectiones in codice, propter breuitatem noctium, minimè legantur : sed pro ipsis tribus Lectionibus, vna de veteri Testamento memoriter dicatur : quàm breue Responsorium subsequatur, & reliqua omnia, vt dictum est, impleantur : id est, vt nūquàm minus à duodecim Psalmorum quantitate, ad Vigilias nocturnas dicatur : exceptis tertio & nonagesimo quarto Psalmo.

Qualiter Dominicis diebus Vigilie agantur.

CAP. XI.

Dominico die temperius surgatur ad Vigilias. In quibus Vigiliis teneatur men-

suta

id est, modulatis (vt supra disposuimus) sex Psalmis, & Versu, residentibus cunctis dispositè, & per ordinem in subselliis, legantur in codice, vt supra diximus, quatuor Lectiones cum Responsoriiis suis. Vbi tantum in quarto Responso dicatur à cantante, Gloria. Quam dum incipit, mox omnes cum reuerentia surgant. Post quas lectiones sequantur ex ordine alij sex Psalmi cum Antiphonis, sicut anteriores, & Versu. Post quos iterum legantur aliæ quatuor Lectiones cum Responsoriiis suis ordine quo supra. Post quas iterum dicantur tria cantica de Prophetis, quæ instituerit Abbas: quæ cantica cum Alleluia psallantur. Dicto etiam Versu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor Lectiones de nouo Testamento ordine quo supra. Post quartum autem Responso incipiat Abbas Hymnum, Te Deum laudamus. Quo per dicto, legat Abbas Lectionem de Euangelio, cum honore & tremore stantibus omnibus. Qua perlecta, respondeant omnes, Amen. Et subsequatur mox Abbas Hymnum, Te decet laus. Et data benedictione, incipiant Matutinos. Qui ordo Vigiliarum omni tempore, tam æstatis quàm hyemis, æqualiter in die Dominico teneatur: nisi fortè (quod absit) tardius surgant, & aliquid de Lectionibus breuiandum est aut responsoriiis. Quod tamen omninò caueatur, ne proueniat. Quod si cōtigerit, dignè indè satisfaciat Deo in oratorio, per cuius euenerit neglectum.